Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26012
Copyright: Admont, Benediktinerstift

rigant. Sed siue in operatione quam fa
ciunt. seu in doctrine uerbis cum sicca
rentur. non per intentionem cordis semper
sollicite ad locum de quo exeunt re
ducerentur. Si enim interius ad cor non
redeant. ac si se in amorem conditoris
desideriorum uinculis non adstringant.
et manus ab eo quod agebat deficeret. et
lingua ab hoc quod loquebatur aresce
ret. Sed intus semper per amorem redeunt.
et hoc quod in publico operantes ac
loquentes fundunt. in secreto suo
de fonte amoris hauriunt. Aman
do enim discunt. quod docendo proferunt.
Ad locum ergo de quo exeunt flumina.
reuertuntur: ut iterum fluant. quia a
qua sapientie inde semper hauritur:
unde oritur. ne cum arida tenetur ex
siccetur. Per omne ergo quod agimus ad fon
tem uel luminis uel fluminis sol
licita mente redeamus. Reddamus
creatori nostro gratias de bonis que acce
pimus. eique cum ipsa gratia per ipsa suppli
citer dicamus. Omnia opera nostra operatus
est nobis. Bona enim nostra. si sunt opera.
cuius uisceribus non sufficiat. ut nos
erigeret. nisi et semet ipsum pro nobis incar
naret. Si enim coeternus patri deus ante
secula non fieret homo in tempore. quando
homo temporalis fieret eternus. Descensio
ergo ueritatis. ascensio facta est humili
tatis nostre. Demus ei gloriam. demus lau
dem. Qui uiuit cum patre in unitate

spiritus sancti deus per omnia secula seculorum amen.
Tenebrosa aqua aqua in nubibus aeris. Quia obscura
est scientia in prophetis. Sed salomo
nis uoce attestante didicimus.
Gloria regum celare uerbum. et gloria dei est
inuestigare sermonem. Quia et ho
norum est hominum corda secreta abscon
dere. et gloria dei est. iustitia sermonis
eius aperire. Ipsa autem per se ueritas di
scipulis dicit. Que dico uobis in te
nebris. dicite in lumine. Id est aperte
exponite. que in allegoriarum obscuri
tatibus audistis. Magne uero utili
tatis est ipsa obscuritas eloquiorum
dei. quia exercet sensum. ut fatiga
tione dilatetur. et exercitatus capiat. quod
capere non posset ociosus. Habet
quoque adhuc maius aliud. quia scrip
ture sacre intelligentia si in cunctis
esset aperta uilesceret. in quibusdam
uero locis obscurioribus tanto maiori
dulcedine inuenta reficit. quanto
maiori labore fatigat animum
quesita. Ecce enim sancti ezechielis
nunc uoce dicitur. Cumque aspicerem animalia.
apparuit rota una super terram. Quid
autem rota. nisi sacram scripturam designat.
que ex omni parte ad auditorum mentes
uoluitur. et nulli erroris angulo
a predicationis sue uia retinetur.
Ex omni autem parte uoluitur. quia
inter aduersa et prospera. et recte et humiliter